



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118626

§. 2. Decretum de indulgentiis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67192)

fuit confectum, ac recitatum, cum autem eidem quædam verba fuissent inserta, quæ prohibebant, ne certæ præscriberentur eleemosynæ ad lucrandas indulgentias, neve darentur illæ, quas suspensiones vocant, vi quarum alia diplomata vim haberent, hinc Salmanticensis Episcopus, necnon Lunensis Comes exponebant, per ejusmodi decretum abrogari Hispaniæ privilegia, quæ tamen potius dicere debuissent abusus. Itaque Patres ad illorum preces ea, quæ Hispanis molesta esse possent, ab hoc decreto expunxerunt.

Sæcul. XVI.
A. C. 1563.

§. II.

Decretum de Indulgentiis.

Post prandium Sessio pridie inchoata continuabatur, initiumque factum est a decreto indulgentiarum, quod publice prælectum his conceptum erat verbis: „Cum potestas conferendi indulgentias a Christo Ecclesiæ concessa sit, atque „hujusmodi potestate divinitus sibi tradita, antiquissimis etiam temporibus „illa usa fuerit, Sacrosancta Synodus „indulgentiarum usum, Christiano populo maxime salutarem, & sacrorum „Conciliorum auctoritate probatum, in „Ecclesia retinendum esse docet, & „præcipit, eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt,

Labh. Col-
lect. Conc. l. c.
Pallav.
num. 3. 4.

L 5 vel

Sæcul. XVI. „vei eas concedendi in Ecclesia pote-
 A.C. 1563. „statem esse negant: in his tamen con-
 „cedendis moderationem juxta vete-
 „rem, & probatam in Ecclesia confue-
 „tudinem, adhiberi cupit, ne nimia
 „facilitate Ecclesiastica disciplina ener-
 „vetur: abusus vero, qui in his irreple-
 „runt, & quorum occasione insigne hoc
 „indulgentiarum nomen ab hæreticis
 „blasphematur, emendatos, & corre-
 „ctos cupiens, præfenti Decreto gene-
 „raliter statuit, pravos quæstus omnes
 „pro his consequendis, unde plurima
 „in Christiano populo abusuum causa
 „fluxit, omnino abolendos esse: cete-
 „ros vero, qui ex superstitione, igno-
 „rantia, irreverentia, aut aliunde quo-
 „modocunque provenerunt, cum ob
 „multiplices locorum, & provinciarum,
 „apud quas hi committuntur, corrup-
 „telas commode nequeant specialiter
 „prohiberi; mandat omnibus Episco-
 „pis, ut diligenter quisque hujusmodi
 „abusus Ecclesiæ suæ colligat, eosque
 „in prima Synodo provinciali referat,
 „ut aliorum quoque Episcoporum sen-
 „tentia cogniti, statim ad summum
 „Romanum Pontificem deferantur, cu-
 „jus auctoritate, & prudentia, quod
 „universali Ecclesiæ expedit, statuatur,
 „ut ita sanctarum indulgentiarum mu-
 „nus pie, sancte, & incorrupte omni-
 „bus fidelibus dispensetur. §. III.